



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Specvlvm Iuuentvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm**

**Bosendorf, Hermann**

**Monasterii VWestphalorvm, 1615**

Lambertus Episcopus Tungrensis 17. Septemb.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42900**

aliorumq; salutem in tuto collocaret. Hinc pia illa in primis sollicitudo, quomodo parentem diuitijs inclytum & delicijs assuetum, ad strictioris vitæ viam alliceret, suaderetq; ut opes & possessiones amplissimas ad vnus Dei cultum transferret. Nec mora: Fufis ritè ad Deum precibus, fiduciaq; rei bene gerendæ plenus patrem aggreditur, & multis verbis grauiffimaq; oratione permouet, vt ex hæreditarijs bonis Ecclesiam Deo construat. Annuit benignè pater, eiq; non modo ingentem auri & argenti vim, sed & vicum Quintianum cum possessionibus amplissimis tribuit, vt in eo sacram ædem excitaret. Vbi ille tandem oratorio Virgini Matri sacro, ac monasterio constructo, multos Christianæ militiæ athletas sanè egregios sub signis collegit, tantaq; dexteritate & gratia disciplinam instituit, vt passim omnes in sui admirationem pertraheret. Tandemq; nongentorum monachorum præfectus contubernio, cum maiorem horum partem beatissimo exitu vna die præcedere conspexisset, in lectulum cilicio stratum se collegit, & eleuatis in cælum oculis, ad beatæ immortalitatis præmia est subsecutus.

PVERITIAS. LAMBERTI EPISCO-  
pi Tungrensis & Martyris 17. Sept.  
Sur. Tom. 5.

**D** Lambertus, insigni profapia in oppido  
Traiectensi oriundus patrem habuit  
Cc 5 Aprum

Aprum nomine matrem Herisplindem; am-  
 bos multa nobilitate conspicuos. Porro pue-  
 rulus multis magnisq; naturæ & gratiæ doti-  
 bus ornatus, ab ipsis primæ ætatis initijs literis  
 adhibitus, & paulo post beato Landoaldo, vi-  
 ro & sapientia & sanctitate cū primis claro in  
 disciplinam traditus est. Apud quem ecclesia-  
 stica religione admodum fit insignis, & cæle-  
 stium mysteriorum feruenti amore medulli-  
 tus inflammatur; tantoq; celerius liberalium  
 artium fluente epotauit, quanto ardentius to-  
 rum se in Dei amorem transfuderat. Tandem  
 diuinis pariter & humanis ac monasticis etiam  
 disciplinis probè instructus, ad patrem re-  
 diit: à quo peramanter acceptus incredibile  
 cū parentibus tū cognatis omnibus, mul-  
 ticiplici sua eruditione & rara prudentia, gaudi-  
 um attulit. Porro sanctus & strenuus puer to-  
 ris ad hoc viribus incūbebat, vt in virum per-  
 fectum euaderet, vnde licet ætate esset iuueni-  
 li, morum tamen grauitate & maturitate se-  
 nilem constantiam referebat; vitabat iactan-  
 tiam, pompam & fastum sæculi magno ani-  
 mo calcabat: quicquid habere poterat in pau-  
 peres erogabat. Obtinebat id temporis pon-  
 tificiam apud Traiectenses dignitatē S. Theo-  
 dardus vir doctrinæ & virtutum laude cele-  
 berrimus in cuius disciplinam egregius ado-  
 lescens Lambertus concessit: seq; solerter ma-  
 gisterio religiosissimi antistitis accomodans,  
 ipsum venerabatur vt dominum, diligebat vt  
 pa-

*Discip.**Morum  
maturitas.**Elemosy-  
na.*

patrem, inque obediendo nullam officij partem prætermittebat. Et quidem egregia nobilitate eximius iuuenis, & corporis formæ elegantissimus, tantis apud B. Theodardum virtutibus effloruit, vt eum sibi quandoque Episcopalis officij auguraretur fore successorem: atque adeo ipsum, nisi Canonum auctoritate prohiberetur, ex nomine designare optasset. Neque eum sua fefellit opinio: Mox enim vt ab impijs trucidatus Theodardus, & præclaro laureatus martyrio, mortalitatem deposuit, populus Traiectensis vna omnium voce Lambertum multis reluctantem Episcopum sibi poposeit. Quo ille officio summa cum laude perfunctus, præclara antea vitæ merita, martyrij demum gloria cumulauit.

DE SS. MARTYRIBVS CYPRIANO

Diacono, & Iustina virgine ex Simeone

Metaphraste 26. Septemb.

Sur. Tom. 5.

Iustina Antiochiæ oriunda, cum Praylij diaconi sermonibus adducta, in Christum credidisset ac deinde, cum parentibus suis Aedesio & Cletonia ab Optato Episcopo sacro baptismate fuisset expiata, cœpit fidei fundamento quouis auto & lapidibus pretiosis nobiliores superædificare virtutes: quas contra hostis malignus varijs modis sibi oppugnandas suscepit. Erat ea in vrbe literarum candidatus quidam Aglaidas nomine, honesto admo-